DE
IVRE TRIVM LIBERORVM
NONNVLLA DISSERENS
AD
ANNVAM
LEGVM
GYMNASII ELBINGENSIS
REPETITIONEM
D. XIV. SEPT. A. MDCCLXIX
H. L. Q. C.
INSTITVENDAM
MAGNIFICVM ET AMPLISSIMVM
VRBIS
MAGISTRATVM
NEC NON
RELIQVOS O. O. MVSARVM FAVTORES
AC AMANTES COLENDISSIMOS
DEMISSISSIME ET HVMANITER
INVITAT

IOANNES LANGIVS
ATH. RECT. PR. TH. ORD. ET BIBL.

ELBINGAE
EX TYPOGRAPHIA NOHRMANNIANA.

Solemnia Gymnaſii Elbingenſis aeſtiua indicaturo mihi placuit, antiquitates Romanas, quae auctorum claſſicorum lectioni, legumque ſcientiae lucem accendunt ſerenam, in conſilium vocare, & ex fertiliſſima illarum penu materiam eligere a ſcopo actus praeſentis & Seminarii Ciuitatis conditione non plane alienam. Res agitur iuuentutis, in ludo litterario laete ſuccreſcentis, quam omnes merito ardentiſſimis proſequuntur votis, vt in ſpem patriae & expectationem parentum doctrina ſalutari ac moribus non fucatis ornata educetur: quippe a prima puerorum inſtitutione & publicae & priuatae ſalutis ac dignitatis incrementum aeque ac decrementum dependere conſtat. Quodſi vero vnicus bonae ſpei ac indolis filius, qui in pietatis & ſcientiarum ſtudio operam & induſtriam collocat omnem, teſte Salomone patris animum, nomen auitum virtutibus propagando, mira afficit laetitia: quanto magis id ſperare licet, ſi cui diuinitus conceſſum eſt, plures in ſapientia, aetate ac gratia apud DEVM & homines efflореſcentes videre a ſe genitos.

His aliisque ex cauſis ducti, ſapientiſſimi quiuis Rerumpublicarum gubernatores nullam vnquam majori curae fideique habuerunt rem, quam liberorum, quibus repleatur ciuitas, procreationem, multiplicationem, educationem. Siquidem hac ratione genus humanum, ſalus & ſecuritas publica, breui alioquin interitura, ad ſeros vsque annos prouecta, immortalis quoddammodo redditur. Silentii peplo lubens inuoluo Iſacidarum tribus, quae caelibatum taedio, orbitatem vero contemptu proſequebantur, in numeroſa prole maximas diuitias, honores ſummos ponentes. Transeo Athenienſium & Lacedaemoniorum ciuitates florentiſſimas, quibus Solon aliique Graeciae ſapientes fuerunt auctores, vt matrimonio iuncti ſaluti publicae conſulerent, ne in

 dignitate

dignitate ac ſecuritate propaganda & confirmanda ſufficiens ciuium illis deeſſet numerus. Romanae tantummodo gentis in praeſenti rationem habere iuuat, cuius ſecuritati ita proſpexerunt maiores, vt, dum absque matrimoniorum frequentia ſalua res publica eſſe non poteſt, de maritandis ordinibus leges ſaepe ferrent, quibus etiam celebre illud trium liberorum addiderunt ius.

Huius natalem in cruento illo bello, tertii triumuiratus tempore geſto inuenimus, in quo tanta ciuium optimorum ſtrages, vt clariſſimae Romanorum familiae vel ad incitas redactae vel penitus extinctae eſſent. Qua internecione facta plurimi metu perculſi, ne fatalia eiusmodi recurrerent tempora, legitimum fugientes matrimonium, absque coniuge & ſine prole vitam agere decreuerunt. Cui grauiſſimo Reipublicae vulneri, interitum Romanis minitanti, fomento conuenientiſſimo medendum eſſe, iudicarunt Principes. Metellus hinc Cenſor ſtatuit, omnes omnino, vt liberorum creandorum cauſa ducerent vxores, cogendos eſſe. Auguſtus contra Imperator, cum in Senatu de maritandis ordinibus ageret, mitiora ſuadens, auctor fuit, vt iis potius, qui nuptias contraherent, liberosque haberent ad minimum tres, praemia proponerentur. Cum vero Tiberio, Caligula, Nerone, Domitiano, ad imperii Romani gubernacula ſedentibus, triſtiſſima illa Reipublicae redirent tempora, vt iis iubentibus optimi & grauiſſimi ſaepius ciues, nihil quidem peccantes, ſed a delatoribus tantum redditi ſuſpecti, vna cum omnibus liberis ſuis interficerentur: illud poſtea Neruae, illud Traiani opus atque labor fuit, vt poſteritati Romanorum conſultaturi, ad ſuſcipiendos natos natasque praemiis praemia & legibus leges adderent, ita vt ſub his Imperatoribus liberos tollere licitum eſſet & expediret. Inde prognatum eſt ius illud trium liberorum famigeratiſſimum, coniugibus, ſiue ſint mares, ſiue feminae, ab Imperatoribus laudatis conceſſum, ita tamen vt non excluderentur

tur

tur parentes, quibus plures essent liberi, in matrimonio legitimo prognati.

Dum vero praemiorum, hoc iure acquirendorum, & illos saepe cupido inuasit, qui sterilitate matrimonii laborabant: pessimus inde inualuit mos, vt multi fictis adoptionibus ad tempus adsciscerent liberos, quos voti sui participes facti, & munera vel prouincias inter Patres sortiti, statim manu mitterent. Cui autem fraudi artique subdole inuentae illud Senatus consultum moram iniecit, ne simulata adoptio in vlla publici muneris parte iuuaret, nec vsurpandis beneficiis prodesset vlli.

Interim alia illis, quibus liberi vel morte erepti erant, vel fortunae malignitas eos denegauerat, ad trium liberorum ius perueniendi proponebatur via, bonitate Principum munita. Tanta enim eorum clementia, tanta indulgentia fuit, vt parum felix matrimonium expertos iure hocce dignos non nunquam putarent, quamuis illud non nisi rarissime factum esse sciamus. Plinius hinc Secundus plenissimam Traiani indulgentiam se consequutum esse gloriatur, quod is non modo sibi, qui in priori liberis carens iam alterum iniuit matrimonium, hoc ius indulsit, sed scribit etiam, se Voconio, amico suo, vt & Suetonio Tranquillo, viro eruditissimo, aliisque ab optimo Principe idem impetrasse. Quanti vero Martialis, ingeniosissimus ille epigrammatum scriptor, hoc trium liberorum ius aestimauerit, vel ex eo videre licet, quod illud petiturus, Domitianum Caesarem, cui vt & Tito carus gratusque fuit, his verbis supplex adiit:

Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar vt esse trium.

Huius tandem voti compos factus, munus ab vtroque Imperatore, cui illud, maximae gratiae argumentum, soli conferre licuit, quam clementissime impetratum, summis ita euehit encomiis:

Praemia laudato tribuit mihi. Caesar vterque,
Natorumque dedit iura paterna trium.

Imo beneficii huius dulcedine adeo captus erat lepidus hic & acutus epigrammatista, vt eo accepto quendam, laudis istius inuidum, sequentibus salse irrideret:

Rumpitur inuidia, tribuit quod Caesar vterque
Ius mihi natorum, rumpitur inuidia.

Ergo

Rumpatur, quisquis rumpitur inuidia!

Quin etiam vxori suae, Claudiae Marcellae, vt sibi iam res suas habeat, ne ius ab Imperatore concessum paterna lege consequatur, ita scribit:

Natorum mihi ius trium roganti,
Musarum pretium dedit mearum
Solus, qui poterat. Valebis vxor!

Hoc vero ius, de quo mihi sermo est, non viris modo concedebatur, sed eodem etiam feminae tam ingenuae quam libertinae gaudebant, quibus ad illud impetrandum sufficiebat, ter vivos & pleni temporis peperisse liberos; quae vero vno partu duos vel tres ediderant, illud non consequebantur. Imo mulieres quoque, sterilitate laborantes, singulari Caesaris indulgentia matribus multorum liberorum pares saepe factas esse, vel ex memoratu dignis Iulii Pauli, Iurisconsulti olim Paduensis verbis patere iudico, ita scribentis: "Ius liberorum mater habet, quae tres "liberos aut habet aut habuit, aut neque habet neque habuit. "Habet, cui supersunt. Habuit, quae amisit. Neque habet "neque habuit, quae beneficio Principis ius liberorum consequuta est."

Non autem est cur miremur, Romanos hoc ius, cuius mentionem feci, tanti habuisse, Traianumque illud ciuibus bene meritis non nisi parce & cum delectu tribuisse. Varia enim nec minoris

minoris momenti illos, qui vel fauente coniugio vel annuente Principe eodem gaudebant, integra adhuc Republica comitabantur priuilegia, ex eodem fonte promanantia. En eorum nonnulla! Quibus ad minimum tres liberi aut trium liberorum iura erant, haeredes fiebant pro ſolido: adhaec non modo a praeſidii & ſtationis munere immunes viuebant, ſed a tutelis quoque, curationibus, aliisque officiis ciuilibus, quae non patrimonii erant, excuſabantur: in ſpectaculis honoratior illis ſedentibus aſſignabatur locus: in muneribus petendis patres multorum liberorum aliis praeferebantur candidatis, ipſo Plinio teſtante, ſe Calaeſtrino Tyroni in tribunatu iure liberorum poſtpoſitum fuiſſe: imo lege Iulia cautum erat, vt priori ex Conſulibus faſces ſumendi poteſtas fieret, non qui plures annos natus eſſet, ſed qui plures quam collega liberos aut in ſua poteſtate haberet, aut bello amitteret. Quod ad feminas hoc iure ornatas, poterant illae in mariti opes ſuccedere, & ſi conſanguinei aderant, accipiebant duas partes, tertiam vero proximitate coniuncti: mortuo autem filio haeredes inſimul omnium illius bonorum exiſtebant: quin imo viuo adhuc patre illis licitum erat, teſtamentum condere, & rem ſuam ſine vlla tutorum auctoritate adminiſtrare.

Vereor quidem, ne quis cogitet, materiam hanc, ex Romanorum antiquitatibus deſumptam, quam in praeſenti meam feci, ſcopo & fine ſchedulae huius inuitatoriae haud dignam eſſe. Aſt quem fugit, ius illud trium liberorum & diſcipulorum in ludis litterariis ſaepe viguiſſe, & hodienum adhuc vigere. Non enim modo in omnium ore illud circumfertur tritum: tres faciunt collegium; ſed ea ſaepius claſſium in ſcholis publicis eſt conditio, vt illis praefecti eodem, quo Munna, ludi quondam magiſter triuialis, qui non niſi pauciſſimos habuit auditores, fato premi videantur, de quo Martialis quam egregie cecinit:

Iura

Iura trium petiit a Caesare discipulorum
Assuetus semper Munna docere duos.

Imo ad unum fere norunt omnes, ius illud trium liberorum in Gymnasium quoque patrium a Maioribus beatae memoriae certo respectu introductum esse, dum primi illius Fundatores & Nutritores, quibus incrementum & salus rei scholasticae non minus quam publicae curae cordique fuit, patribus multorum liberorum hoc concesserunt beneficium, vt pro eodem iure duo saltem maiores natu filii publicum soluerent mineruál, tertio, quarto & qui sequuntur, scholam vno tempore frequentantibus, ab illo liberatis.

Haec dum sufficere videntur, de laudato illo trium liberorum iure dicta: nihil iam superest, quam vt denunciati actus, crastino die celebrandi, rationem habeam. Praemissis in eodem post praeuiam breuem Rectoris orationem legum scholasticarum lectione & iuuentutis translocatae lustratione, illi ex coetu scholastico, quorum nomina adiecta exhibet schedula, ductu *Praeclarissimi Doctissimique Domini IOANNIS SAMVELIS FROM, Gymnasii Conr. & P. P. O. Amici & Collegae Aestumatissimi*, in arenam declamatoriam prodibunt, DE VICTV verba facturi.

Quibus solemnitatibus anniuersariis vt ILLVSTRIS, PERMAGNIFICVS, MAGNIFICI, GENEROSI, AMPLISSIMI, CONSVLTISSIMIQVE DOMINI BVRGGRABIVS REGIVS, PRAESES, PRAECONSVLES, CONSVLES, CIVITATIS PROCERES ET MAECENATES aetatem vsque Deuenerandi; nec non EXCELLENTI, PLVR. REVERENDA, PRAENOBILI, NOBILI, SPECTABILIQVE DIGNITATE CONSPICVI, Musarum FAVTORES ET AMATORES summopere Colendi beneuole adesse dignentur, omni qua par est obseruantia & humanitate etiam atque etiam rogo. P. P. Elbingae. D. XIII. Sept. MDCCLXIX.